

## DISPUTATIO XXIII.

## DE CAVSA PECCATI.

## THEISIS I.

**D**E Manicheis refert D. Augustinus, quod voluntatis humanae libertatem, etiam quoad actiones malas & peccata, ita externo cuidam principio alligatam esse statuerint, ut homines non ex voluntatis suae libertate: sed à contraria quapiam & inimica substantia coacti peccent. L. 1. Retractat. c. 9. l. de fide cont. Manich. c. 5.

2. Et profectò ita humanitùs comparatum est, ut nemo non causam peccati à se amoliri, inque aliud principium eam transferendo, velocior esse soleat ad excusationem, quam ad confessionem peccatorum suorum: ut idem Augustinus præclarè dicit, lib. 2. de libero arbitrio, cap. 2.

3. Exemplo esse potest tristissimus Protoplasmrum lapsus: Adamo quidem causam & culpam violati mandati divini, in mulierem, imò in Deum ipsum, quippe qui talem sibi vitæ sociam adjunxerit: Muliere vero in serpentem transrente. Gen. 3. 12. & 13.

VU 3

HOC